

*pious* (h), 2.) ΣΩΦΡΩΝ *sobrius*, vel vt alii interpretantur, *modestus*, *moderatus*, *temperans* (i). 3.) ΔΙΚΑΙΟΣ, *iustus*, *innocens*, *amans aequitatis & rectitudinis*. 4.) ΕΓΚΡΑΤΗΣ *continens*, *castus*. 5.) ΦΙΛΟΞΕΝΟΣ, *hospitalis* (cum hospitalitas pro istorum temporum conditione charitatis erga alios documentum esset longe luculentissimum, 1. Pet. IV, 2. Rom. XII, 13. Ebr. XIII, 2) 6.) ΦΙΛΑΓΑΘΟΣ *amans bonorum*. 7.) ΜΙΑΣ ΓΥΝΑΙΚΟΣ ἄνθρωπος *unius uxoris vir*, (quod tamen non positue intelligendum, ac si necessario eligendus in episcopum uxorem habere teneatur, sed negatiue, quod non plures habere conueniat.) 8.) ΝΗΦΑΛΙΟΣ *vigilans* (sic vertunt CHRYSOSTOMVS, ERASMVS, THEODORVS BEZA, alii, reprehensi eo nomine a PRICAEO). 9.) ΚΟΣΜΙΟΣ, *bene compositus*, *modestus*, *grauis*, seu vt Vulgatus reddit, *ornatus*, h. e. corporis ornatu, incessu & habitu decoro, ex quo ipsius animi moderatio & temperantia elucescat, sit conspicuus (k). 10.) ΕΠΙΕΙΚΗΣ (l) *aequus*, *qui de suo iure remittat*, *qui aequitatem stricto iuri anteponat*. 11.) ἈΜΑΧΟΣ *alienus a pugna*, *litium & rixarum abstinens*, vel: *inexpugnabilis*; (obseruat enim GROTIUS, vocem hanc apud Graecos modo passiuè sumi, vt significet eum, cui repugnari nequit, modo actiuè, vt significet τὸν μὴ μαχόμενον). 12.) ἈΦΙΛΑΓΓΥΡΟΣ, *alienus ab auaritia*, *non cupidus argenti*. 13.) ΤΟΥ ἰδίου οἴκου καλῶς προϊστάμενος, *qui domui propriae bene praesit*. 14.) ΤΕΚΝΑ ἔχων ἐν ὑποταγῇ μετὰ πάσης σεμνοτήτος, *liberos habens in subiectione, cum omni honestate*. 15.) ΜΗ ΠΑΡΟΙΝΟΣ, *non vinolentus*, quod v. 8. epist. 1. ad Tim. c. III. explicat: μὴ ὄντω πολλῶ προσέχων. 16.) ΜΗ ΠΛΗΚΤΗΣ *non percussor*, *non ad iniurias reipsa pariter ac verbis aliis inferendas pronus*.

K

17.)

(h) THEOPHYLACTVS in Cap. VII. ad Hebraeos, p. 945. Ὅσιός ἐστιν, ὃ μηδὲν τῶν ὠφειλημένων αὐτῷ παραλιμπάνων.

(i) Complures nominum: σωφρων, σωφρονισμός, σωφροσύνη, significationes, apud Patres Graecos passim obuias, exhibet IOHANNES CASPAR SVICERVS Thef. Eccles. Part. II. p. 1223. seqq.

(k) THEOPHYLACTVS ad 1. Timoth. III, 2. p. 475. κόσμιον καὶ φθέρματι, καὶ σχήματι, καὶ βλέμματι, καὶ βαδίσματι. ὥς καὶ διὰ τῶ σώματος φαίνεται τὴν τῆς ψυχῆς σωφροσύνην.

(l) CHRYSOSTOMVS Homil. XLVIII. in Acta: Ὅταν κακῶς πάσχοντες φέρωμεν, τὰτο ἐπιείκεια.